

vers. 15. confer. vers. 18. & sic novum tanquam Via-  
tores *itinerarium fidei* per hanc *Christologiam* acce-  
perunt. *Itinerarium fidei* sequitur *itinerarium vite*, quod  
est *itinerarium crucis*, quia fidelium vita perpetua crucis  
militia, Job. VII. v. 1. *Itinerarium laboris*, cum otia  
dent *vicia*, ipsumque pariter otium pulvinar *Satanae* di-  
catur, *Itinerarium*, dum in laboriosa vita periculo-  
sam mortis viam deprehendimus, & in nullo gradu  
laborum a pericolosis mortis insidiis tuti sumus, aut  
esse possumus, vers. 19. *Itinerarium denique felicitatis*  
*Eugeniac*, qvando nimirum in *Semine Mulieris* cum  
Eva vivimus, vestes *Mysticas* vere *sacrificiales* & *sacer-*  
*dotales* induimus, *omne nostrum opus juxta vocationem*  
*sanctam in Domino facimus*, Coloss. III. vers. 17. & in  
societate, conversatione, cooperatione Cherubim  
cum Protoplastis vivimus, donec ex hoc *militante*  
*itinerario* ad metam gloriae transire possimus, quod  
est *itinerarium felicis Eugeniac*. Sic *Itinerarium terge-*  
*minum* Protoplastorum est benedictum *Itinerarium*  
*omnium fidelium posteriorum*. Sicut Exemplo nobis est  
Micheas, Propheta, cum ordine Prophetarum omni-  
um, Mich. VI. vers. 8. & David in ordine piorum  
omnium, Psal. CXVI. v. 10. Quod in nobis omnibus  
per *Christologiam Paradisiacam* pariat, custodiat & per-  
ficiat *Semen Mulieris* in sui nominis gloriam,  
& nostram salutem! Amen!

